

De dolore faciali Fothergill : dissertatio inaguralis ... / auctor Bernhardus Halsband.

Contributors

Halsband, Bernhard.
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.
Royal College of Surgeons of England

Publication/Creation

Berolini : Typ. Nietackianis, 1834.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/s7qehxuh>

Provider

Royal College of Surgeons

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

13. 13 122
— DE
**DOLORE FACIALI
FOTHERGILLI.**

**DISSERTATIO
INAUGURALIS**

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILIELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS

RITE SIBI CONCILIANDIS

DIE XI. M. SEPTEMBRIS A. MDCCCXXXIV.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

BERNHARDUS HALSBAND

HOHENHOLTA - GUESTPHALUS.


OPPONENTIBUS:

F. STICH, MED. ET CHIR. DD.

E. FRENTROP, MED. ET CHIR. CAND.

F. MOELLER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI, TYPIS NIETACKIANIS.



DOLOR FACIALI
FOTHERGILL

DISSECTATIO

IN AUREM

CONSERVATA ET AUGMENTATA

GRATIA REGIAE SOCIETATIS

EDICATAE LONDINENSIS

IN AUREM

PRO REGIA

IN AUREM ET ANATOMIA HONORIBUS

REGIAE SOCIETATIS

ANNO MDCCLXXIII

LONDINI

APUD

WILEY

STAMPAE

REGIAE SOCIETATIS

OPUSCULUM

DE

REPERITIONE

REPERITIONE

FRATRI

OPTIMO, DILECTISSIMO

CAROLO HALSBAND,

**SACELLANO PAROCHIALI AD B. M. V. TRANS AQUAS
MONASTERII,**

PROOEMIUM.

Qui librum in vulgus edendi consilium sponte capiunt, vel novam aliquam de hac illave re theoriam propriamque sententiam in lucem proferre, vel observationes notatu dignas in usum communem evulgare, vel, theoriam observationibus superstruendo, utrumque facere gestiunt. Hoc autem experiri, virorum est aut magna eruditione et ingenii sagacitate conspicuorum, vel egregiis experientiae opibus instructorum, minime tironum, quippe qui, etsi in studia academica per legitimum tempus incubuerint, partim tamen literarum opes modo obiter delibarent, partim communes tantum res satissique vulgares observaverint. His igitur, si sacrosancti majorum mores legesque academicae exigant, ut publicum eruditionis specimen exhibeant, aliud scribendi genus eligendum est, quo et suas vires exercent, et commilitonibus utilitatis aliquid fortasse praestent. Sunt enim, quae ab aliis quidem

observata exstent, at idonea expositione atque promulgatione careant; sunt etiam, quae huc illuc dispersa colligi beneque digeri possint ac mereantur. Quidnam horum mihi placuerit, ex iis intelligas velim, L. B. quae sequentes pagellae Tibi proponunt; quum enim, reputatis omnibus ad conscribendam dissertationem forte idoneis, alia nimis trita rejecissem, alia nimis prolixa existimassem, tandem animum attendi ad morbum, qui, cum rarior sit et, quod indolem attinet, obscurior, varias medicorum hypotheses in lucem evocavit. In eo autem acquiescere me oportet, ut symptomata ex ordine enumerem et examinatis, quae de morbi natura et aetiology exstant, sententiis, curationem rationalem describere studeam. Virium imbecillitatis bene memor, neque nova neque egregia me exhibiturum esse fateor, quare tuam L. B. indulgentiam atque humanitatem in dijudicando hoc opusculo inaugurali exoro.

Morbus, quem descripturus sum, variis insignitur nominibus: Prosopalgia, Dolore faciali Fothergilli, Neuralgia faciali, Rheumatismo faciali. Quarum denominationum prima nimis generalis mihi videtur, quippe quae, si etymologiam spectes, nihil nisi faciei dolorem significet, ejus natura causaque maxime variare possunt. Omnibus equidem praeferrem nomen „*Neuralgia facialis*“, nisi adhuc de vera hujus doloris indole scriptores valde dissentirent. Quare denominationem satis vulgarem „*Dolor facialis Fothergilli*“ retinui; quanquam enim facile est intellectu, morbi naturam hocce nomine nihil dilucidari, sed potius in ambiguo poni, omnes tamen facili negotio inde perspiciunt, quodnam morbi genus innuatur.

Fothergill minime primus exstitit, qui huncce morbum observaret atque describeret, nam in operibus veterum medicorum Graecorum vestigia passim obvia sunt, e quibus intelligas, malum, de quo agitur, eorum attentionem non effugisse, quanquam pro singulari morbo habitum non esse videtur.

Pari modo Arabes medici, ut *Rhazes et Avicenna*, licet descriptiones morbi accuratiores exhibuerint, tamen clariorem ejus notitiam non obtinuerant, quippe qui a morbis spasticis, nominatim a trismo et spasmo cynico, non bene eum distinguerent.

Superiori demum saeculo varii medici diagnosis et naturam doloris facialis accuratius examinare atque constituere conati sunt, inter quos praecipue Gallus medicus, *André* (1) spasmum cynicum cum eo haud confundendum esse docuit. Maxime autem post hunc inclaruit *I. Fothergill* (2), quippe qui de illustranda morbi nosologia ac describendis ejus signis optime meruerit. Qui secuti sunt medici, plus quidem attentionis malo huic cognoscendo curandoque impenderunt, at pauci tantum, quod equidem scio, ejus nosographias ediderunt, inter quas commentatio *Josephi de Leuthner* (3) inprimis mentione digna mihi videtur.

Si diffitendum non est, quod omnes affirmant pathologi, dolorem *Fothergilli* nunc subito irruere, nunc prodromos praemittere, differentiam illam praecipue a causis deducendam esse arbitror, siquidem

(1) Observations sur les maladies de l'uretrè. Par. 1756.

(2) Sämmtliche medic. und philos. Schriften, nach der neuesten Ausgabe aus dem Englisch. und Lat. Altenburg 1785. Bd. II. S. 164.

(3) Commentat. de dolore faciei Fothergilli. Wirceb. 1810.

aliae earum, imprimis praedisponentes, jam ante morbi introitum symptomata morbosa proferant, aliae autem tam violenter organismum afficiant, ut repente malum irruere debeat. Prodromi, si exstant, locales magis quam universales esse solent, quandoque tamen inquietas et anxietas aegrotorum, nec non respiratio difficilis, brevis, suspiriosa, observari dicuntur (4). Saepius dolores capitis et extremitatum tensivi, spasticis similes, animadvertuntur, qui dein ad faciem conversi, molestissimas excitant affectiones, uti tensionem palati mollis, vel nasi, vel regionis superciliaris, aut ipsarum palpebrarum tremorem. Eadem loca pruritu inimicissimo, titillatione, formicatione (5) offenduntur, quibus aeger, ut partes affectas perpetuo vellicet, compellitur, simulque paroxysmi eruptio acceleratur (6).

Morbus, si suam revelavit praesentiam, non continuus est, sed periodicus, i. e. paroxysmos efficit atque intermissiones. Symptoma paroxysmi essentielle in dolore cernitur, qui in aliqua faciei parte exortus, quod ad directionem attinet, plerumque summam constantiam ostendit. Quandoque dolor initio levis, acupuncturae similis, mox ad in-

(4) Haase, Ueber die Erkenntniss und Cur der chronischen Krankh. u. s. w. Bd. II. S. 315.

(5) Schmalz, Versuch einer medicinisch-chirurgischen Diagnostik in Tabellen. 4te Aufl. 1825. §. 514.

(6) Haase, l. c. pag. 315.

gentem evehitur gradum: acutus fit, pungens, lancinans, distendens, perforans, pulsans, terebrans, sensum excitans, tanquam facies aut serra aut cultro discindatur. Primum vibrationibus fugacibus admodum dolorificis sese prodit, quae ictuum electricorum instar brevia per intervalla in aliquo faciei aut capitis loco sentiuntur, indeque radiorum more, varias secutae directiones, dimanant, incisionis sensum efficientes, deinde in tremores musculorum faciei subitaneos, inimicissimos, abeuntes. Multo magis interdiu desaevit, quam noctu, plures enim aegrotorum noctes quieti transigunt. Periodi, quibus revertitur, certae non sunt: modo singulis diebus quinque aut sex, imo decem aut duodecim apparent insultus, modo interstitia hebdomadis integrae, vel mensis, quin adeo anni dimidii, existunt (7). Nunc dolor post aliquot horae scripula eadem evanescit celeritate, qua irruebat, nunc per horam unam vel plures protrahitur, nec ullum, si cessit, vestigium relinquit; in interstitiis perfecta corporis valetudo locum habere solet; nonnunquam finiri dicitur dolor strepitu singulari, aegrotum non secus percutiente, ac si horologii rotae devolvantur. Paroxysmus absque causa manifesta saepe excitatur, interdum animi pathemata graviora sequitur, praeterea autem omnes faciei motus, vel levissimi, ut

(7) Schmalz, l. c.

loquela, deglutitio etc. eum inducunt. Locorum affectorum tanta est sensilitas, ut aegrotantes, ne tangantur, sollicite caveant, ipsoque tactu leviori paene in furorem agantur. Scire autem oportet, tactu fortiori, repente adhibito, dolorem non adaugeri, sed diminui, imo per aliquod tempus suspendi. Ut plurimum dolor alterutrum tantummodo faciei latus neque hoc totum semper, sed certum ejus locum infestat; sin paroxysmi graviores sint, quandoque finitimas partes, vel alterum latus, etsi leviori gradu, adgreditur, neque minus ad palatum, fauces, linguam, gingivas, dentes aegrotos maxillae superioris porrigitur, omnesque musculos vel ad spasmum adigit, vel paralysi quasi temporariae ita submittit, ut loquela atque deglutitio difficiliores reddantur. Quamquam tempestatis ratio non manifestam efficaciam hunc in morbum exserit, tamen horrida, frigida et importuna dolorem exasperare videtur; stragulorum autem calor nihil eum mutat. Tumor, tensio, calor auctus, rubor, motus febrilis, rarissime superveniunt, sed potius vigente insultu locus affectus, nonnunquam tota corporis superficies (8), pallescit atque friget; spastica tamen musculorum contractio, aut ingens sanguinis congestio, interdum efficit, ut intumescencia quaedam oriatur, vel oculi post paroxysmum inflammentur. Venae jugulares turgent, carotides arteriaeque temporales violentius quidem, at

(8) Haase, l. c. S. 316.

minime celerius aut frequentius, micant; quin adeo pulsus solito rarior, intra horae minutum circiter quinquaginta, vel quod excurrit, ictus offert. Faciei lineamenta, si invitam doloris significationem excipias, raro graviolem experiuntur mutationem; quandoque accidit, ut labium superius tremiscat, vel rigeat, vel attollatur; strias rubro-purpureas, a fronte ad nasi radicem decurrentes, interdum observari multi contendunt. Salivae atque lacrymarum secretio, inter ipsum paroxysmum plerumque ad- aucta, illo exeunte uberius evadit et per longius breviusve tempus protrahitur, prout morbosa nervorum sensibilitas vel citius vel tardius demulceatur; sunt etiam, qui, finito insultu tumorem oedematosum in affecto faciei loco nonnunquam animadverti, affirmant.

Etiam si valetudo universa aegrotantium, si recens est neuralgia, propter intermissiones crebras parum turbetur, tamen mora diuturnior corpori injurias infert. Paroxysmis enim iterum iterumque redeuntibus nervorum sensibilitas non mediocriter alienatur, quamobrem aegroti in summam animi intemperiem, hypochondriam, tristitiam incidunt; imo haud improbabile est, dolorum atrocitatem aegrotantes ad eum desperationis gradum adigere posse, ut mentis morbo afficiantur, aut de consciscenda morte meditentur. Qui procedente et inveterascente morbo digestionem turbari afferunt, non perperam ju-

dicare videntur, etenim vel consensu vel antagonismo ad reliquas nervorum systematis partes affectio propagatur, ceteroquin continua aegrotorum inquietudo, interdum somni defectus, viscera chylopoetica inimicissime offendunt. Tubus intestinalis torpore atque inertia corripitur, venter tumet atque durescit, alvus pertinaciter obstipatur; ischuria, si unquam accedit, quod multi contendunt, haud dubie rarioribus symptomatibus adnumeranda est.

Prosopalgiam interdum, superato uno paroxysmo, finiri, ut passim adnotatum legimus, vix fide dignum videtur; nemo saltem evidenter commonstrare poterit, veram fuisse prosopalgiam, quae post unum cesserit insultum. Omnibus in exemplis, quibus diagnosi confirmata esset, morbum per multam annorum seriem, saepius ad mortem, perstitisse, experientia docet. Restitutio aegrotorum in integrum, si contigit, partim effici dicitur oedematosa lateris affecti faciei intumescencia, quacum aquae accumulatio in vaginis nervorum aegrotantium conjungitur, partim arthritidis introitu, aut perfectiori ac regulari evolutione, quo fieri dicit *Haase* (9), ut exorbitans nervorum sensibilitas ad articulos deferatur. Nonnunquam profluvia crisis loco funguntur, ut alvi excreta dysenterica, aut haemorrhoides (10), vel mucii

(9) l. c. pag. 317.

(10) *Dreyssig*, Handbuch der medic. Diagnostik. Th. I. S. 682.

puriformis e naribus profusio (11). Facile tamen est intellectu, morbum adeo pertinacem atque chronicum, ut prosopalgiam, crisi rarius quam lysi resolvi. Si neutra contigerint, morbi secundarii varii generis, imprimis nervorum systematis, exoriuntur, ut hypochondria vel hysteria, oblivio, imo adeo, quod *Baumes* (12) asserit, melancholia. —

Si divisionem morbi instituere velis, praecipue respicere debebis partes, quibus insidet dolor. Qui enim si in ipsis nervis sedem habet, aut ab iis saltem orditur, eorumque decursum sequitur, *Neuralgiam facialem*, seu *Prosopalgiam genuinam*, s. *veram*, s. *dolorem facialem Fothergilli* appellare licet, cujus symptomatologiam supra exposuimus. Sin aliae faciei partes affectae sunt nervique per consensum tantum corripuntur, *Dolor facialis latiori sensu*, s. *Prosopalgia spuria*, vocari meretur, cujus species eae habendae sunt, quae sequuntur:

I. *Prosopalgia inflammatoria* (melitis), dolorem exhibens partium faciei carnearum, cum tumore inflammatorio, qui praegressis horripilationibus, dolore pulsante etc. facile in suppurationem abit, at tamen cum interioribus partibus, v. c. cum sacco lacrymali, alveolis etc. commercium non init.

(11) Simon, de prosopalgia. Dissert. Hal. 1793. §. 4.

(12) Von den Convulsionen der Kinder, von ihren Ursachen und ihrer Behandlung. Leipz. 1791. S. 270.

(11) II. *Prosopalgia rheumatica*, ut plurimum refrigerationem sequitur partialem, saepe feбри atque tumore stipatur, rarius per aliquot dies intermittit; dolor tendens est, lancinans, saepe vagus, tam stragulorum calore quam tempestatis vicissitudinibus augetur, musculorum laborantium motus aggravat et externis irritamentis haud intenditur, sed quandoque demulcetur. Ad maxillas dentesque non raro progreditur et nonnunquam limbum rubellum circa gingivarum oras producit.

III. *Prosopalgia dysarthritica* (non confundenda cum vera neuralgia, cujus causa praedisponens in cachexia arthritica cernitur), dolorem sistit ossium faciei obtusum et hebetem, calore mitescentem, raro inferiorem faciei partem adgreditur, et arthriticis affectionibus aut succedit, aut cum iis alternat.

IV. *Prosopalgia febricosa* periodismum ostendit, paroxysmi eodem semper diei tempore sine ulla causa manifesta apparent, dolor ab eorum initio ad finem usque aequabilis, convulsionum expers, plures saepe horas tenet. Proinde haec prosopalgiae species nihil nisi febrem intermittentem occultam, s. larvatam exhibet.

V. *Prosopalgia traumatica* laesiones mechanicas excipit, imprimis ossium fracturas, aut partium mollium contusiones, quae haud difficiles sunt detectu.

Quod ad locum doloris attinet, nonnulli (13) quatuor species principes distinguunt:

a. *Neuralgiam infraorbitalem*; dolor a foramine infraorbitali ordiens, praesertim nervi infraorbitalis ramos ad labium superius et nasum sequitur.

b. *Neuralgiam frontalem*; dolor nervi supraorbitalis decursum ad regionem frontalem, superciliarem et, propter anastomoses nervi supraorbitalis cum supratrochleari, ad internum orbitae angulum comitatur.

c. *Neuralgiam generalem, s. auriculari-malarem*; sedem dolor habet in ramis nervi facialis numerosis, qui a foramine stylomastoideo inde per totam faciem diffunduntur; totum ergo capitis latus occupat et, nisi attentius ejus originem ac propagationem respicias, cum aliis affectionibus, ut hemi-crania, confundi potest.

d. *Neuralgiam mentalem, s. inframaxillarem*; dolor, nervum alveolarem inferiorem comitans, a foramine mentali externo, vel e regione dentis bicuspidati secundi, ad labium inferius, mentum, collum, aut retro ad dentes molares inferiores, et regionem temporalem versus, protenditur.

Etiam si autem disiteri nolimus, dolorem Fothergilli dictos nervos atque regiones adoriri posse, neminem tamen fugit, sedem ejus plerumque vel in

(13) Schmalz l. c. §. 514.

nervo faciali (Neuralgia auriculari-malaris), vel in nervo infraorbitali (Neuralgia infra-orbitalis) esse collocandam. Ramum pterygopalatinum nervi maxillaris superioris quandoque affici posse (14), ea potissimum symptomata testari videntur, quae interdum fauces, palatum et linguam offendunt.

Nonnulli existunt morbi, qui per symptomata sua plus minusve similitudinis cum prosopalgia offerunt, quamobrem eorum diagnosin breviter exponam.

I. Odontalgia: dolor semper a dente aliquo vel alveolo, aut pluribus simul, orditur, licet vitiosa illorum indoles non semper animadvertatur; exeunte dolore plerumque tumor partium denti laboranti finitimarum oritur, non oedema; quidquid ore excipitur, dolorem mutat, imprimis potus calidi frigidique; nasus vel parum vel nihil est affectus; musculorum faciei motus spastici, convulsivi, prosopalgiam comitantes, desiderantur; denique dolor, quamquam non raro intermittit, aut saltem remittit neque manifestum illum periodismum, quem dolor *Fothergilli*, exhibet, neque tam brevibus interstitiis valetudinem laetissimam in teterrimam affectionem atque anxietatem convertit. Ablato dente vitioso, suspenditur odontalgia, minime prosopalgia.

* (14) Langenbeck, Tractatus anatomico-chirurgicus de nervis cerebri in dolore faciei considerandis. Götting. 1805.

II. Hemicrania: Ab hoc morbo praesertim prosopalgia genalis, s. auriculari-malaris discernenda est, quippe quae alterutrum capitis latus obsidere soleat. Hemicrania vel verticem tenet, ibique clavum vel ovum (dolorem fixum circumscriptum) sistit, vel a palpebra superiori ad frontem et regionem temporalem assurgit, vel super nasum ad labium superius et gingivam porrigitur, imo orbitam petit et lacrymarum stillicidium excitat; nonnullis in casibus aurem, occiput et cervicem infestat. Dolor initio magis pulsans, paulatim pungens, lancinans evadit, maximaque cum atrocitate desaevit. Loca affecta neque leviolem neque graviolem pressionem ferunt; in latere aegrotante narium obstructio, interdum faciei calor, oculi photophobia, rubor, spasmi, existunt; tumor vel ineunte, vel exeunte demum insultu apparet; dolor neque nervi facialis decursum sequitur, neque radiatus diffunditur, neque musculorum faciei convulsiones inducit. Paroxysmum saepe scotomia, vertigo, dysphoria, anorexia, nausea, vel singularis animi hilaritas et loquacitas, antecedunt, somnus, sudor, vomitus, epiphora plerumque eum tollunt. Ceteroquin hemicraniae insultus longiores sunt quam prosopalgiae, non raro enim per diem dimidium, vel integrum et quod excurrit, protrahuntur.

III. Spasmus cynicus: qui cum hoc morbo prosopalgiam confuderunt, symptomata essentialia mi-

nus attente respexisse videntur, etenim spasmus cynicus ad tonicos spasmos pertinet, quo angulus oris, aut si major gradus exstat, alii quoque musculi ejusdem lateris aurem versus distrahuntur, alterius vero lateris musculi relaxationis speciem prae se ferunt; quandoque stuporis aut rigoris sensus, vel tumor aliquis, locum habent; levior spasmi cynici gradus saepe tantum inter loquendum et ridendum animadvertitur.

IV. Risus sardonius, s. gelasmus: spasmi ad sunt, quibus musculi faciei utriusque lateris, inprimis levatores labii superioris et anguli oris, buccinatores, zygomatici, convelluntur et distorquentur. Ceterum risus sardonius, cum singulto plerumque conjunctus, nunquam idiopathicus, sed symptomatikus tantum occurrit (15), nimirum in hysteria, chorea St. Viti, dysmenorrhoea, praecipue in diaphragmatitide nervosa atque typhosa, in qua semper pessimi ominis est.

V. Trismus: cur vetustiores medici trismum et dolorem *Fothergilli* pro eodem vel analogo morbi genere habuerint, nescio, nam agglutinatio maxillae inferioris, vel ejus divaricatio, quarum alterutra in trismo semper exstat, musculorum mandibulae rigor et durities, decursus trismi brevis exitusque utplu-

(15) Haase Bd. II. S. 106.

rimum funestus, morbi diagnosis in luce clarissima ponunt.

Quibus interpositis, ad ipsam prosopalgiam redeamus, necesse est. Nihil difficilius esse videtur, quam morbi alicujus, de quo tot tantique viri dissentiant, indolem causamque proximam describere, tiro enim, si hanc illamve sententiam fuerit amplexus, num rectam sit secutus, ipse dirimere nequit. *Selle* (16) et *Fothergill* proximam causam in acore carcinomatoso cerni putabant, quam hypothesin ab *Haigthon* (17) eo refutatam esse alii dicunt, quod in exemplo quodam, dolorem *Fothergilli* dissectis nervis partium laborantium desinere observaverit. Praeterea dyscrasia carcinomatosa, inquiunt, si subesset, hic illic scirrhasas indurationes ulceraque carcinomatosa producendo, luculentius sese manifestaret, morbus ipse nec impetu subitaneo irrueret, neque intermissiones exhiberet, sed pedetentim incresceret continuaque symptomata inferret. Nihilominus *S. G. Vogel* (18) eandem profitetur opinionem, quia venenum carcinomatosum, nervos afficiens, imprimis foeminis exeunte menstruorum

(16) Neue Beiträge zur Natur- und Arznei-Wissensch. Berlin 1782. Th. I. No. 6, S. 27.

(17) Heilung eines Gesichtsschmerzes durch die Zerschneidung der leidenden Nerven. In Schreger's und Harles neuesten engl. und französ. Annalen der Chirurg. und Geburtshülfe. Erlangen 1799. Bd. 1.

(18) Handb. d. prakt. Arzneiwissenschaft, Th. IV.

fluxu prosopalgiam inferat, quo ipso tempore ut plurimum scirrhus evolvatur, quia dolores simillimi sint carcinomatosis saepeque eodem tempore in variis corporis partibus scirrhi oriantur, vel ex ipsa neuralgia faciali evolvantur. Certe autem largiri debemus, causam illam, si adsit, neque proximam esse, neque unicam, sed praedisponentem tantum, aliaque momenta simul huc referenda esse, quum ineunte arthritide regulari aut fluxu haemorrhoidali interdum morbus tollatur. — Illi theoriae similis ea est, quam *Richter* (19) et alii defendunt, causam proximam in materia arthritica vel rheumatica collocantes, quae in partibus faciei quibusdam deposita, nervos irretit atque dolorem producat. Quemadmodum superiori theoriae veri aliquid subesse judicavimus, si dispositionem respiciamus, ita huic eandem largimur dignitatem. — *Bartholon de Lazare* (20) materiam electricam, in nervis laborantibus accumulata, prosopalgiae proximam causam exhibere affirmat, propterea quod dolores saepe ictibus electricis sint simillimi. Quae accumulatio, si locum haberet, partim haud dubie graviores excitaret spasmos, partim causis occasionalibus tantum interponenda foret. — Multo minus subscribere possumus opinioni a *Leuthner* (21) propositae, quippe qui *Fothergilli*

(19) *Specielle Therapie*. Bd. II.

(20) *De l'Électricité du corps humain*. Lyon 1780.

(21) *l. c.* pag. 19.

dolorem a nervorum asthenia pendere dicat; etenim si quid veri haberet ejus sententia, morbus noster ad paralytin semper vergeret. Ad *Vogelii* et *Richter* opinionem propius accessit *Maasius* (22), neuralgiam facialem e dyscrasia syphilitica deducens, saepeque faucium nariumve ulcera eam antecedere affirmans. Quidnam de hac theoria censeam, infra exponam, de causis remotis sermonem facturum; adnotare tantum hic liceat, dolores ipsos syphiliticis non esse aequiparandos, quoniam hi nocturno tantum tempore exacerbantur, prosopalgiae autem insultus noctu quiescere solent. — Denique subjiciam theoriam novissimam, cujus auctorem *Haase* (23) sese praedicat, neuralgiam facialem comparans cum Ischiade nervosa, causamque proximam in statu inflammatorio vaginarum nervi facialis infraorbitalis aliorumque ramorum faciei partibus providentium collocans, cujus decursum rapidissimum esse putat. Longius a vero aberrasse videtur *Haase*, qui veram inflammationem in nervorum vaginis existere credat, vix enim explicari potest modus, quo fiat, ut inflammatio tam brevibus interstitiis, v. c. decies aut duodecies singulis diebus, vicissim accedat atque discedat, quum inflammatio, cum quadam partium

(22) *Hufelands Journ. d. pract. Heilkunde.* Bd. XXV. S. 45.

(23) *In der Vorrede zum II. Bd. S. VI., desgl. Bd. II. S. 318.*

solidarum et liquidarum mutatione conjuncta, fulminis instar praeterire nequeat, sed ut excolatur iterumque solvatur, non mediocri temporis spatio indigeat. Ceterum nulla unquam inflammatio vera alicujus partis observatur, quae illum ostendat periodismum, quem in neuralgia faciali animadvertimus. — Si igitur analogiam cum processu inflammatorio vindicare velimus, quod omnino probandum videtur, nonne vero magis consentaneum est, solam defendere irritationem, quae causa quadam permanente iterum iterumque excitata, ad inflammationem quidem tendat, sed priusquam ejus gradum assequi possit, exhausto fomite morbozo solvatur partiumque functiones non amplius turbet. Cum hac quoque sententia conciliari possunt symptomata, quae *Haase* inflammationi imputat, scilicet dolor acerbus, sanguinis ad caput congestiones, tumor oedematosus et aquae collectio in nervorum vaginis, quum internos quoque hydropes e continua irritatione, v. c. spirituosorum abusu, citra ullam inflammationem oriri, compertum habeamus.

Reputatis prosopalgiae causis remotis, praedispotionem semper necessariam esse, ut morbus excolatur, persuasum habeo, minime enim omnes aetates atque constitutiones aequo modo corripuntur. Prosopalgia imprimis afficit homines quadragenarios, raro juniores, nunquam infantes (24); saepius

(24) Schmalz l. c. §. 514.

mulieres, quam viros (25); quod ad corporis constitutionem attinet, praecipue anomaliis arthritidis, haemorrhoidum, mensium, viscerum abdominalium obstructionibus, hypochondria aut hysteria laborantes, neque minus vitae libidinosae dediti saepiusque syphiliticis morbis obnoxii, huic malo implicantur. Quibus consideratis, a probabilitatis specie non abhorret, dyscrasias varias, ut arthriticam, syphiliticam, scrophulosam, rheumaticam, forsitan etiam carcinomatosam, exhibere dispositionem, cui neuralgia facialis superstruatur.

Minus certa atque dilucidata sunt momenta occasionalia, morbum in lucem evocantia.

Insultum quandoque vehementiora animi pathemata excipere, supra posuimus; haud dubie autem secretiones et excretiones, tam normales quam habituales, suppressae, exanthemata repercussa, arthritis retrograda et vaga, magni sunt momenti. Tempestatis ratio, etiamsi ad excitandam prosopalgiam parum conferre videatur, tamen refrigeria, quae tempestate humido-frigida inducuntur, paroxysmorum frequentiam et atrocitatem adaugent, quare aegroti autumno atque vere gravius plerumque divexantur, quam aestate et hieme.

Denique omittendae non sunt topicae injuriae, nervos faciei offendentes, ut pigmenta irritantia vel

(25) Haase l. c. Bd. II. p. 319.

corrosiva, faciei saepius illata, ulcera syphilitica, carcinomatosa, cariosa, aut nervis facialibus finitima, aut antro Highmori insidentia. Ipsa partium vellitatio, ad mitigandum pruritum, paroxysmorum reditum accelerat: singulare exemplum apposit *Reil* (26), in quo lateris sani vellitatione insultus evocabatur. — Prognosis doloris Fothergilli duplici ratione metienda est: partim quod ad vitam, partim quod ad sanationem attinet. Vitam si respicis, praesagium omnino bonum augurandum est, nam per se prosopalgia exitialis esse non solet. Mediteris autem velim, morbum non modo esse teterrimum atque acerbissimum, verum etiam, si inveteraverit, varios nervorum systematis morbos, supra jam memoratos, tandemque universi corporis macilentiam febremque hecticam inducere posse. Medellae ratione habita, praedictio nunquam non mala promulgetur oportet, saepe enim prosopalgia nulli cedit methodo, nullis remediis, aut si cedit, longum per tempus tenacissime resistit. Attamen prognosin haud semper esse eandem, sed variis ex rebus metiendam, nemo ignorat. Mulieres difficilius sanari dicuntur viris, multo magis, si aetate proveciores sint menstruaque purgatione destitutae. Interest porro, utrum morbus recens an inveteratus sit, nam quo longiorem assequitur moram, eo majora capit

(26) Memorabilia clinica. Vol. I, fasc. 2, pag. 9.

incrementa, eo firmiores atque altiores per corpus agit radices. Plurimum autem ponderis tribuendum est causis, quae quo diutius et penitius organismo inhaerent, quo graviolem ac manifestiorem produnt dispositionem, ut dyscrasiam scrophulosam, arthriticam, carcinomatosam, eo magis de restituenda valetudine est desperandum.

Ad instituendam medendi methodum rationalem, proximum esse debet, ut causae remotae, tam occasionales, quam disponentes, impugnentur. Prae omnibus dispositio est respicienda, quippe qua sublata non modo occasionalia momenta facilius tollantur, verum etiam prosopalgia haud raro sponte sua cedat. Omnia remedia, quibus multi auctores virtutis specificae aliquid contra neuralgiam facialem tribuerunt, non in ipsum agunt dolorem, quod *Haase* (27) perperam contendit, sed contra dispositionem, a dyscrasia quadam pendentem. Generatim illa remedia ex resolventium aut alterantium classe desumuntur, prout singulis dyscrasiis respondent. Itaque dyscrasia scrophulosa inprimis ea exoptulat remedia, quae systematis lymphatici actionem corrigunt atque resorptionem adaugent, ut mercurii et antimonii praeparata, nam reliqua antiscrophulosa aetati infantili magis accommodata sunt. Eadem remedia ad debellandam dyscrasiam arthriticam et carcinomatosam

(27) l. c. pag. 321.

laudanda aliisque conjungenda sunt, nimirum, si arthritica subest, aconito, guajaco (28), colchico autumnali, sin carcinomatosa, cicuta et belladonna, quarum illam *Fothergill* et *Selle* (29), hanc vero *Stark* (30) multis laudibus extulerunt. Dyscrasia syphilitica mercurialibus impugnatur, singulatim calomelane, quod primum a *Lentino* (31) commendatum, minus antiphlogisticis, quam antisiphiliticis, resolventibus et alterantibus virtutibus salutarem praestat effectum. Praeterea non in hac tantum, sed in reliquis etiam dyscrasiis, antea positis, decoctum *Zittmanni* egregie opitulari videtur. Diathesis rheumatica si corpori insidet, partim internis remediis, intense diaphoreticis, ut guajaco, aconito, antimonialibus, partim externis, ut balneis tepidis, laconicis etc. expellenda est. Narcotica et nervina, quae passim laudantur, ut opium, hyoscyamus, castoreum, valeriana, naphthae et alia, partim dolorem demulcendo auxilium palliativum exhibent, partim spasticas affectiones, cum neuralgia saepe junctas, mitigant. *Leuthner* (32) digitalem purpuream, cum incitamentis volatilibus junctam, commendat,

(28) Handbueh zur Kenntniss u. Heilung inner. Krankh. Th. II, S. 9.

(29) l. c. pag. 27.

(30) l. c. pag. 9.

(31) Beiträge zur ausübenden Arzneiwissensch. Bd. I. Leipz. 1797.

(32) l. c. pag. 46.

nec temere quidem, ut mihi videtur, dummodo incitamenta volatilia omittantur, quae, si non semper noxia, certe supervacua sunt. Digitalis purpurea enim, praeterquam quod vi narcotica sedat, virtute quadam antiphlogistica insignitur, in iis praesertim casibus salutari, in quibus vel inflammatio protracta chronica, caractere erethistico conspicua, vel irritatio continua, ad inflammationem prona, in qua proximam prosopalgiae causam posuimus, locum habet. Arthritis retrograda et exanthemata repercussa irritamentis cutaneis et diaphoreticis remediis ad pristinum locum restituantur, haemorrhoides mensive suppressi partim sulphure aut emmenagogis, partim revulsionibus, ut hirudinum ad anum, ad genitalia externa, ad femorum latus internum applicatione, pediluvii tepidis et irritantibus, redintegrentur; ulcera, caries ossium faciei, exostoses, vel aliae excrescentiae, fracturae etc. secundum chirurgiae praecepta curentur, omnesque arceantur injuriae, tam internae quam externae, quae vel dispositionem adaugere, vel paroxysmum evocare possint.

Quod ipsum attinet processum morbosum localem, magis externis quam internis remediis impugnandus videtur, etenim quae interna commendantur sunt, nominatim narcotica supra dicta, si dolorem sedant, paroxysmum quidem levare, aut breviorum reddere, minime ipsum morbum extinguere valent. Hac parte non possumus, quin adstipule-

mur *Haasio*, qui nullum auxilium praestantius esse affirmat, hirudinum applicatione ad loca affecta. Quantum valeat haecce medendi methodus experientia se edoctum scire tradit, saepius enim sibi contigisse, ut, sex vel octo hirudinibus admotis, dolor auferretur. Quam sententiam nihil hypothetici habere, facile perspicias, etenim hirudines non modo sanguinis congestionem, quae haud dubie ad nervos laborantes priodice locum habet, atque irritationem partim efficit, partim alit, elevat, verum etiam detrahendo ac dirivando exaltatam nervorum sensibilitatem deprimunt. At non paroxysmos tantum hac ratione imminui aut compesci, sed quoque, repetitis per intermissiones sanguinis detractionibus topicis, prohiberi, imo adeo, si internorum remediorum effectus desideriiis respondeant, morbum radicitus everti posse, existimo. Ex variis unguentis, ad externum usum commendatis, praesertim unguentum hydrargyri cinereum mihi videtur idoneum, quippe quod, diathesin sanguinis phlogisticam diminuendo, seri secretionem intra nervorum vaginas impediat, secretique resorptionem adjuvet. Derivantia etiam, ut vesicatoria, setacea, ad processum mastoideum aut cervicem instituta, repudianda non sunt, imprimis si secretio quaedam habitualis in ipsa facie, ejusve vicinia, aut consulto aut fortuito suppressa est. Agentia physica, ut magnetismus, electricitas, galvanismus plus pollicerentur auxilii, si

morbis mere esset nervosus. Desperatis in casibus moxa (33) et ferrum candens laudata sunt, quae vix efficaciora mihi videntur, quod ad curationem attinet, quam ulcera artificialia, vesicatorio, vel cortice mezerei, vel cultello instituta. Fomenta ex aqua frigidissima, vel ipsa glacie, interdum mirifice opitulanti dicuntur (34).

Sub finem hujus opusculi mentio facienda est methodi cujusdam chirurgicae, ad prosopalgiam radicatus sanandam commendatae, nimirum discisionis nervorum aegrotantium. Haec operatio, quae teste *Thouret Galeno* jam innotuerat, medio saeculo superiori a Gallis et Anglis in lucem protracta, posteaque a multis Germanis, ut *Leydig* (35), *Klein* (36), *Langenbeck* (37), vindicata est. Doloris sedes operationis locum definire debet; sin plures laborent nervi, *Langenbeck*, ut conjunctio inter nervos faciei et reliquos trigemini ramos suspendatur, et nervum infraorbitalem juxta arcum zygomaticum, et ramos faciales ad musculum masseterem juxta angulum mandibulae dissecari jubet. Operatio cultello convexo peragitur et

(33) Guincourt, Journ. de medecine continué. Vol. XV. p. 348.

(34) Consbruch, Taschenbuch für angeh. Aerzte. Th. II. S. 22.

(35) Doloris faciei dissecto infraorb. nerv. profligati historia. Heidelberg 1807.

(36) In Siebold's Chiron, Bd. II. St. I. S. 157.

(37) Bibliothek für Chirurgie, Bd. II. St. 4. S. 157.

incisio per integumenta ad os usque ducitur; vulnus alii prima, alii secunda intentione sanandum censent. Quamquam haud pauci sunt, qui hujus operationis praestantiam vindicent, attamen non modo ambiguum, sed plane inutilem esse arbitror. Primum enim nonnulli nervi, ut ramus pterygopalatinus nervi maxillaris superioris, neque minus nervus facialis, postquam per foramen stylo-mastoideum exiit, adeo sunt absconditi, ut eorum dissectio magnas injurias organismo inferat; deinde arteriae majores, vel ductus stenonianus possunt laedi, fistulaeque, haemorrhagiae, aut ulcera maligna induci; tum muscoli faciei, labiorum, nasi, nervis discissis non modo calore naturali privantur, sed saepe paralysi afficiuntur; porro meditandum est, omnes faciei nervos numerosissimis anastomosibus conjungi, et propter has anastomoses, trunco alicujus nervi dissecto, non omnes ejus ramos vita ac sensibilitate orbari; denique, causam subesse internam, universalem, nempe dispositionem, qua persistente morbus elevari nequeat.

VITAE ET STUDIORUM CURSUS.

Natus sum in Guestphalorum pago, cui nomen est Hohenholte, anno hujus saeculi decimo, ipsis Calendis Aprilis. Parentes, quos adhuc superstites pio gratoque animo veneror, mihi sunt Bernhardus Halsband et Catharina e gente Noever, catholicae fidei addicti. In progymnasio Warendorpiensi primis litterarum rudimentis per quinquennium imbutus sum. Deinde superiores Gymnasii Monasteriensis classes adii, maturitatisque testimonio anno milesimo octingentesimo vigesimo nono munitus, facultati philosophicae, quae ibi floret, adscriptus sum, et per tria semestria hisce doctissimorum virorum praelectionibus interfui: Schlueter de historia philosophiae; Esser de logice, psychologia et metaphysice; Roling de physice experimentalis et astronomia; Lutterbeck de anthropologia.

Anno hujus saeculi trigesimo primo academiae Halensis magnis laudibus permotus, Halam petii et a prorectore magnifico Gruber, et a Meckel, t. t. facult. medic. decano spectabili, inscriptus sum. Praeceptores mihi erant viri illustrissimi: Sprengel de botanice et physiologia plantarum; Friedlaender de encyclopaedia et methodologia medica; Nitzsch de zoologia universa et helminthologia; Germar de mineralogia et crystallographia; Henrichs de fundamentali philosophia; Schweigger de Chemia; Meckel de osteologia, syndesmologia et anatomia, idem cadavera rite secandi artem me docuit.

At vero anno elapso ad almam Musarum sedem Lipsiensem me contuli et a Prof. Klien, penes quem t. t. fascies academici erant, in numerum civium academicorum receptus sum. Per anni spatium hos viros illustrissimos disserentes audivi: Haase de materia medica et de febris; RADIUS de pathologia generali; Carus de Chirurgia generali, de ossibus fractis et luxatis et de fasciis rite applicandis; Cerutti de pathologia et therapia speciali et de anatomia pathologica; Kuhl de chirurgia speciali et de oculorum morbis, qui scalpello et manu curantur; Kneschke de therapia generali et de arte formulas medicas conscribendi; Walther de chirurgia operativa; Joerg de artis obstetriciae theoria.

Tempore denique paschali anni miliesimi octingentesimi trigesimi tertii huc profectus ab Ill. Weifs, rectore magnifico, et ab Ill. Osann, Decano facultatis medicae spectabili, civibus universitatis Friderico-Guilelmae adscriptus sum, simulque unum per annum in cohorte praetoria, quae tormenta agit, rem militarem absolvi voluntarius. Scholis clinicis horum illustrissimorum virorum interfui: medicis Wolff et Bartels, chirurgicis Rust, obstetriciis Busch et de medicina forensi audivi Wagner.

Iam vero tentaminibus philosophico et medico, nec minus examine rigoroso, coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero fore, ut dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

1. In prosopalgia nervi dissectio rejicienda est.
 2. Hydrops morbi symptoma, non morbus.
 3. Arteriae vim tantum elasticam habent.
 4. Homoeopathia in morbis acutis minime adhibenda est.
 5. Nullum remedium interdum optimum.
 6. Medicus ipse remedium.
-